



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Quæ disciplina sit seruanda in mensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

Secunda pars huius capituli: in quibus disciplina seruanda sit in mensa.

*In tract. de
inst. nouit.
cap. 18.*


*Eod. cap.
nunc antea
citato.*

*Eod. lib. &
cap. citatis.*

Quantum ad quatuor est seruanda disciplina in mensa, scilicet quantum ad taciturnitatem, quantum ad visum, quantum ad continendi se modum, & quantum ad cibi & potus sumptionem. De tribus primis dicit Hugo de S. Victore his verbis: Debet quisque inter epulas conseruare disciplinam in semetipso, videlicet vt linguam suam à loquacitate restringat, & oculos suos à circumspeditione cohibeat: & vt cetera membra omnia cum modestia, & quiete contineat. Idem de taciturnitate. Taciturnitas inter epulas necessaria est, idcirco, quoniam lingua, quæ omni tempore prona est ad peccatum, labitur periculosius, cum per crapulam inflammata fuerit: si ad loquendum relaxetur. Propterea diues qui inter epulas loquacitati seruiert, post in inferno positus vehementius in lingua ardebat. Idem: Custodia oculorum inter epulas propterea necessaria est, quia non decet, ibi precipue, vt vagos quis habeat oculos, neque curiosè respiciat, & vt amplius aliquid dicam, impudenter ea quæ apud alios aguntur circumlustrando perspiciat: sed vt potius dimissis luminibus, ea tantum quæ sibi apposita sunt, attendat. Idem: Custodia quoque se continendi ibi negligenda non est, quatenus videlicet neq; in habitu, neque in gestu indecens aliquid aut inhonestum agatur: nihil cum strepitu aut tumultu fiat: sed omnia membra cum modestia & tranquillitate in disciplina contineantur.

Ad

Ad disciplinam in sumptione cibi & potus
 pertinent, quid, quantum, & quomodo sit su-
 mendum. In libro de vita solit. Cura carnis a-
 genda est sobriè, & cum quadam spiritali di-
 sciplina: vt neq; in modo eius, nec in qualitate,
 neq; in quantitate aliquid appareat, quod non
 deceat seruum Dei. In eod. Ipsa necessitas non
 seculariter, non carnaliter, expleatur: sed sicut
 conuenit seruo Dei. Nam etiam ad sanitatem
 corporis cibus quantò honestius & ordinatius
 ingeritur, tantò facilius & salubrius digeritur.
 Obseruandus est ergo sumendi modus, & tem-
 pus, cibi qualitas & quantitas. Tempus, ne ante
 horam. Qualitas, qua scilicet vtitur communi-
 tas fraternitatis: excepta causa manifestæ ne-
 cessitatis. Qui tempus comedendi præuenit, nõ
 expectat donec salsa parata sit, scilicet fames:
 vnde cibum insipidum comedit. Seneca: Solus
 panis, bonus fiet tibi; cum tenerum & similagi-
 neum fames reddit: ideo non edendum, ante-
 quam illa imponat. Expectabo ergo, nec antè e-
 dam, quàm aut bonum panem habere potero:
 aut malum fastidire desiero. Ber. Prudenter so-
 brieq; conuersanti satis est ad omne condimen-
 tum, sal cum fame. Sapiens: Desideriis omnia
 condiuntur. Qui in religione est, non debet ni-
 mis preciosa vel delicata expetere: nec rara
 vel insolita requirere: nec nimis
 accuratè & lautè præpa-
 rata concupiscere.

*Bernard.**Epist. 120.
habet ali-
quid de
hoc.**Epist. 1. de
clinando
ad finem.*

G

Quod